

~~Wilk. Ludwell~~
1.) Proleg. Juris ad Institutiones
2.) Diss. I. Theorem Juris

1248.

Wilhelmi Ludwell dissertationes XVIII. ad
Justinianas Institutiones. Altorf. 1627.

Henrici Berzel dissertationes ad ius Pandec-
tarum Marp. 1627. Vol. I.

Augsburg. Sammlbd.
Sal.

J M 23

6

DISPUTATIO SEXTA.
AD
IVSTINIANEAS
INSTITUTIONES.

Quam

Permissu & authoritate

Amplissimæ Facultatis Juridicæ in celebre-
rima Altdorfina.

PRÆSIDE

DN. WILHELMO LUDWELL
BORUSSO.

Ventilandam exhibuit.

JOHANNES FRIDERICUS LOHET,
STUTGARD. WÜRTEMBERGICUS.


Hora locoq; consuetis.

Mense Februario,

ANNO M. DC. XXVII.



ALTDORPHI NORICORUM,
ET Typographia Balthasaris Scherffij,
Universitatis Typographi.



DISPUTATIO VI. Ad Tit. 6. 7. 8. & 9. Lib. 2. Inst.

RESPONDENTE,

JOHANNE FRIDERICO LOHETO,
Sturgardiano - Würtembergico.

THESSIS I.

Jure Civili acquiritur dominium vel singulatim vel per universitatem (a) singulatim usucapione & donatione. (b) Usucapio (c) est adjectio dominii, (d) per continuationem possessionis (e) temporis lege definiti (f)

(a) §. ult. Inst. per quas personas cuiq; acquiritur. Singulatim vel per universitatem acquiri dominium dicimus, non tam respectu habito ad res ipsas, singulares, vel universales, quo ad jus, quo res iste adquiruntur: quod in donatione & præscriptione semper est singulare, in successione vero universale. *Vult. ad princ. Inst. de testam. n. 2. & 3. Wesenb. ad. d. § ult. n. 4. Don. 5. comm. 2. Foman. Disp. 12. in Continuazione.* (b) tot. tit. Inst. de usucap. & donat. Id regulariter nam specialibus quibusdam casibus etiam aliis modis Jure Civili dominium acquiritur, quos sequitur *Don. d. lib. 5. c. 2. & ex Wegener. Disp. ad Inst. 6. th. 1. lit. B.* (c) Rectim usucapio, quam usus capio, quia non usum, sed usu sive per usum capimus, sive acquirimus, *Borch. ad pr. Inst. de usuc.* Usus enim hic non commoditatem aliquam, sed possessionem significat, *l. 115 ff. de V. S.* Capio autem est acquisitio: sicut capere in jure nihil aliud est, quam acquirere *l. 140 ff. d. tit.* Inde dicta usucapio, quia solo usu, id est, possessione res capitur, seu acquiritur. *Borch. ad d. pr. n. 2. Vult. n. 3. Wesenb. n. 2. in 2. ff. d. usurp. & usuc. n. 2. Præscriptio* dicta est à præscribendo, id est, præfigendo vel præfiniendo, quasi temporis præfinitio: quia legibus præfinitum est tempus, intra quod

repetitio rei à domino fieridebet, sub pœna amissionis dominii, ut ex Balb. docet Schneid. ad. d. pr. n. 6. Adde Giphan. ad d. princ. Quomodo autem hæc duo invicem se differant, non una omnium est sententia. Vulgo Dd. Usucaptionem ad res mobiles præscriptionem ad res immobiles referunt. Schneid. ad d. princ. n. 9. & Myns. ibid. n. 4. sed refelluntur per l. 17. l. 18. l. 23. l. 37. l. 38. l. 39. ff. d. Usuc. & Usurp. jun. Et l. unic. C. d. usuc. transform. & d. princ. Inst. de Usucap. Borch. ibi n. 3. Arum. Exerc. 6. th. 3. Alter Vult. ad d. princ. n. 10. & lib. 1. Iur. Rom. c. 71. n. 1. qui Usucaptionem rerum corporalium tantum, præscriptionem verò tam corporalium quam incorporalium esse putat. Sed & hoc vix recipi potest, propter l. 4. §. fin. l. 10. §. fin. ff. d. tit. l. ult. C. d. præscript. long. temp. & d. l. unic. C. de Usuc. transf. Jacob. Cram. Disp. 9. th. 6. Adde Bachov. ad Treutl. vol. 1. Disp. 27. th. 8. lit. E. Valent. Riemer. dec. 4. q. 7. And. Gerh. dec. 5. q. 3. Nos ambiguitatem in vocabulo præscriptionis agnoscimus. Aut enim accipitur generaliter pro qualibet exceptione ut in l. pen. & ult. C. de Except. l. 11. in fin. ff. eod. l. 29. pr. ff. de Except. re judic. l. 91. ff. de solut. Aut specialius pro exceptione ex possessione temporis lege definiti, ut in rubrica ff. de divers. & temp. præscript. Atq; hoc sensu præscriptionem ab Usucaptione differre expeditum est. Aut deniq; accipitur pro acquisitione per longam possessionem, ut in rubr. Inst. de Usucap. & longi. temp. præscript. (ubi perperam pro præscriptionibus, Cujac. Borch. & alii substituunt possessionibus Vult. ad d. princ. n. 11. Don. d. lib. 5. com. c. 4.) Et hæc tribus olim modis ab Usucapione differebat: rebus videlicet possessis, tempore & effectu. Don. d. c. 4. Borch. ad d. pr. Vult. n. 7. Treutl. th. 1. lit. H. Hodie verò ex Constitutione Justiniani præscriptionis & Usucaptionis Jura ferè confusa sunt, ut vix ulla superesse videatur differentia d. l. unic. C. d. usucap. transf. Arum. d. th. 3. Foman d. D. 11. th. 1. Treutl. d. litt. H. in fin. (d) l. 3. ff. d. Usurp. & usuc. ubi Cujac. & Borch. legunt adeptio secuti Ulpian. in frag. tit. 19. §. 7. Alii malunt acquisitionem, quod probare videtur Vult. etiam d. c. 71. n. 2. Verum vix quicquam interest utram sequaris lectionem. Est enim Usucapio adjectio dominii, quia dominium possessioni à lege adjicitur Don. d. c. 4. Wesenb. in 20. ff. b. tit. n. 4. Vult. add. princ. b. tit. n. 9. Est & adeptio, quod qui possidet, adjectum adipiscatur dominium. Et tandem adquisitio: quia usucapio est modus acquirendi dominium §. fin. Inst. de usucapio

de usū & habit. *Glossa ad d. l. 3. ff. de Usurp. & Usucap. Adde Foman d.*
D. 12. th. 2. lit. A. (e) Possessio enim tempore legitimo continuata
usucaptionis fundamentum est ; quo deficiente, & ipsam deficere
necessitatem habet, l. 25. ff. h. tit. c. 3. d. Reg. Iur. in 6. Vult. add. princ. n. 25. (f)
Quæ verba Cujac. in d. l. 3. Borch. ad d. pr. n. 14. Duar. ad h. tit. c. 1. &
alii Tribonianii non Modestini esse contendunt. Quod ut esse fortassis possit, ita dicere necesse non est : cum utiq; negari haud possit, &
Modestini tempore lege tempus definitum fuisse. Arum. d. Exerc. 6.
th. 2. in fin. Forst. p. 1. D. 9. th. 4. Foman d. th. 2. lit. C.

II.

Usucapiendi potestatem Jus Civile, (a) omnibus
qui dominium acquirere & possidere possunt (b) etiam
filiis fam. (c) & pupillis ; (d) non autem furiosis. (e)

(a) Usucapio à Græcis inventa est, ut probat Obrecht ex Pla-
tonis lib. 2. de LL. & Isocrate in Archidamo. Niell. Disp. 11. th. 2. lit. A.
Romanis vero recepta est per decemviro in 12. tabb. relata arg. pr.
Inst. h. tit. ubi Theoph. Borch. Wesenb. tandemq; variis principum con-
stitutionibus emendata d. princ. & tot. tit. C. de prescript. long. temp.
Wesenb. in 20. ff. h. tit. n. 9. (b) d. l. 3. l. 8. §. 1. l. 25. ff. h. tit. Cujusmodi
sunt omnes cives Romani, non peregrini, nec servi, utpote qui nec
possidere, nec usucapere quicquam possunt, l. 4. § 4. l. 44. §. fin. ff. d.
tit. l. 118. ff. d. Reg. Iur. Dominus tamen etiam ignorans, ex causa pe-
culii per servum usucapit l. 1. § 5. l. 44. §. 1. ff. d. acquir. poss. d. l. 8. ff. d.
Usurp. & Usuc. l. 2. §. 11. ff. pro emptore. Treutl. d. D. th. 2. lit. E. An &
per procuratorem? Omnidem, l. 1. § 20. ff. d. acq. poss. § pen. Inst. per quas
person. cuiq;. Sed sciens, non ignorans, l. 47. ff. d. Usurp. & Usuc. Fom. d. D
12. th. 4. lit. B. in fin. (c) maximè castreria & quasi castreria peculia d.
l. 4. §. 1. ff. h. tit. quia in his pro Patribus fam. habentur l. 6. §. fin. ff. d. injust.
rupt. & irrit. testam. eadem possidere & acquirere sibi pleno Jure
possunt § 1. Inst. d. tit. per quas personas cuiq; acquir. Nam in reliquis
quidem quoad ipsum usucapiendi factum, usucapere Filiis fam. pos-
sunt; non vero quoad jus ex Usucapione resultans, illud enim sta-
tim Patri acquiritur princ. Inst. d. tit. Vult ad tit. d. Usucap. n. 12. (d) E-
tiam si sine tutoris autoritate possidere ceperint; modo animum

possidendi habuerint, d.l. 4. § 2. ff. d. tit. Possunt enim pupilli & sine
tutore possessionem nancisci l. 32. § 2. ff. d. acquir. poss. quia facti po-
tius est quam Juris l. 1. § 3. ff. eod. Quod verum est, si ejus aetatis sint,
ut intellectum capiant. Nam infantes non aliter, quam si tutoris au-
thoritas accesserit, possidere & usucapere possunt, l. 1. § 3. in fin. & l.
32. § 2. ff. h. tit. Don. d. lib. 5. c. 11. Bronch. cent. 3. aff. 87. Fachin. 8. contr. 19.
Arum. D. ad 20. th. 8. (e) Qui ne quidem Curatore autore usuca-
pere possunt arg. d.l. 1. § 3. ff. d. acquir. poss. junctal. s. ff. d. Reg. Iur. eod
quod mens ipsis prorsus adempta sit l. 40. ff. d. Reg. Iur. Sed si usuca-
pionem ante furorem semel coepirint, furor postea superveniens,
eam non interrumpit, l. 44. § 6. ff. de Usurp. & Usuc. Quemadmo-
dum & ejus nomine Curator recte Usucepit arg. l. 1. ff. d. bonor. poss.
furios. Don. d. c. 11. Vult. d. lib. n. 13. Forst. D. 9. th. 12. Fom. d. th. 4. lit. A.

III.

Idq; in rebus quibusvis (a) non prohibitis vel na-
tura sua, ut res quae non sunt in commercio, (b) & me-
ræ facultatis: (c) vellege, partim favore Dominorum,
ut res pupillares, (d) minorum, (e) dotales (f) & si-
miles; (g) partim odio possessorum, ut res furtivæ, (h)
vi possesse (i) & praesidi contra legem Julianam dona-
tæ. (k)

(a) Tam mobilibus quam immobilibus pr. Inst. h. tit. Ulp. d. tit.
19. § 7. etiam incorporealibus. Nam quamvis haec possideri propriæ
nequeant l. 3. ff. de acquir. poss. quasi tamen possideri possunt, arg. l. 10.
§ 1. ff. de Usurp. & Usuc. quod ad Usucaptionem hodie sufficit, ut Disp.
preced. dictum. (b) Ut res divini Juris, Sacrae, Sanctæ, religiosæ, li-
ber homo § 1. Inst. h. tit. l. 9. ff. eod. l. pen. ff. d. mort. infer. Item res publi-
cae l. 45. ff. d. Usurp. & Usuc. quae & ipsæ commercio privatorum ex-
emptæ sunt, arg. § 6. Inst. derer. divis. Vult. add. tit. Inst. de Usucap. n. 14
(c) arg. l. 2. ff. de viapub. & itin. publ. refic. Gail. 2. obs. 18. n. 4. nisi prohi-
bitioni interpositæ is qui facultatem meram habebat, cum patientia
acquieverit. l. 18. § fin. ff. quemad. serv. amitt. l. 10. in fin. ff. si seruitus vin-
dic. Gl. in l. 11. ff. d. serv. urb. præd. & Gl. in c. Abbate 25. de V. S. Treutl. d.
D. th. 3. lit. L. Aliud igitur dicendum si res non meræ facultatis, sed e-
ciam.

etiam juris sit l.3. l.4. C. de præscriptio vel 30. vel 40. ann. Eiusmodi res est hereditatis aditio, l.7. in fin. ff. de Curator. furios. & l.3. C. de instit. & substit. Cui præscribit spacio 30. annor. Dd. communiter volunt, teste Coras. 6. miscell. 21. Quid autem de jure reluendi pignoris? Hinc ne quidem longissimo 30. vel 40. annor. tempore præscribi verius est; quia creditor in mala fide est; & non suo, sed debitoris nomine possidet l.13. ff. d. Usurp. & Usuc. Borch. in tract. de Usur. c.6. n.13. Bronch. cent. 4. aff. 4. Arum. Exerc. 6. th. 9. Elias Rober. D. 9. coron. 1. Idem dicendum de pacto retro vendendo, arg. l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. Cum & hic in mala fide sit, utpote suæ promissionis & obligationis conscius Borch. d. c. 6. n. pen. & ult. Fachin 2. contr. 13. Dn. Vng. Exerc. 7. q. 4. in fin. Et ita in Camera observari testatur Gail. 2. obs. 18. Myns. cent. 1. obs. 16. (d) Contra pupilos enim nec incipit præscriptio, nec contra defunctum cœpta, currit; Sed durante pupillari ætate omnis præscriptio cessat, atq; dormit l.10. & ibi Gothf. ff. quibus mod. serv. amitt. l.48. ff. d. acquir. rer. dom. l.3. vers. pupillari C. de præscript. 30. annor. Goedd. ad l.28. n. 2. ff. d. V. S. Vult. Inst. d. Usucap. n. 16. Wesenb. in v. ff. h. tit. n. 14. Aliud est in aliena à pupillo bona fide possessa: ea vero si venierit, b. f. emptori, in facto ex justa causa erranti procedit usucatio, l. 2. §. 15. ff. proempt. Item si cœpta sit adversus defunctum, qui posthumum heredem reliquit, impleri potest, priusquam posthumus nascatur, l.45. ff. de minor. Cujac. 24. obs. 14. in fin. (e) supra pubertatem, contra quos tantum currit præscriptio 30. annor. l.3. C. de præscript. 30. ann. l. 3. C. quib. non objic. long. temp. præscript. non minor. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. Vult. d. n. 16. (f) l.30. C. de jure dot. nisi præscriptio antequam dotales fierent, inchoata fuerit, l.48. ff. d. acquir. rer. dom. l.16. ff. defund. dot. Cujac. lib. 24. obs. 9. Vult. d. loco n. 17. (g) Cujusmodi sunt res fisci § 4. Inst. de Usuc. l.14. l.18. ff. eod. Res principis t. tit. C. ne rei dom. vet. temp. vind. Res Civitatum l.9. ff. h. tit. (h) Non ab ipso fure (is enim a lia ratione impeditur, quia mala fide possidet) sed à quo vis alio, etiam à bonæ fidei possessore, propter vitium quod rei inhæret, eamq; comitatur ad quoscunq; tandem pervenerit, § 6. Inst. h. tit. l.7. C. d. Usuc. proempt. l.24. ff. h. tit. nostro. Gell. 17. noct. c. 7. Huc pertinent & res a motæ l. pen. ff. d. act. rer. amor. & servus fugitivus, qui sui ipsius furtum facit, § 1. Inst. h. tit. l.1. C. de serv. fugit, & l. 60. ff. de Furt. Quod autem de rebus furtivis dictum, obtinet & in eo, quod ex iis perceptum conceptumq;

ceptumq; l. 4. § 40. ff. h. tit. Unde & partus ancillæ furtivæ in eadem causa est ; nisi apud b. f. possessorein conceptus & editus sit l. 33. princ. ff. d. Vsurp. & Vsuc. l. 48. § 5. ff. de furt. & l. 3. C. de Vsuc. pro empt. Gædd. ad l. 26. ff. de V. S. Don. s. Comment. 25, Niell. D. 11. th. 7. Dn. Vng. gep. d. Exerc. 7. q. 3. Aliud obtinet in fœtu pecorum. Is enim cum in fructu sit, § 38. Inst. de Rer. div. statim b. f. possessori acquiritur l. 48. § fin. ff. de acquir. rer. domin. nec Usucapione eget. Quod enim semel meum est amplius meum fieri nequit § 10. Inst. de Legat. l. 159. ff. de R. l. Gædd. d. loc. Don. d. lib. s. c. 26. & ibi Hillig. (i) d. § 2. Inst. de Vsuc. l. 4. § 22. ff. eod. l. 86. ff. d. furt. l. fin. ff. vi bonor. rapt. d. l. 48. ff. de acquir. rer. dom. (k) d. l. 48 pr. l. pen. pr. ff. ad L. Iul. repetund. Et hæc omnia tam diu obtinent, donec vitium purgatum fuerit, quod contigit quando res in potestatem dominia aut possessoris redierit § 3. Inst. d. t. l. 4. § 6. l. 24. § 1. ff. eod. l. 84. ff. de furt. Don. s. comm. 28. Cujac. 12. obs. 3.

IV.

Sed ita demum, si possessio (a) Civilis (b) per tempus lege definitum (c) continuata fuerit. (d)

(a) Sine possessione enim nulla Usucapio procedit l. 3. l. 25. ff. h. t. Unde vulgatum illud, tantum præscriptum, quantum usucaptum l. 1. § 5. ibi q. Gl. ff. de itin. actu q. priu. Treutl. d. D. th. 2. lit. A. (b) Duplex constituitur possessio in legibus nostris, una naturalis, altera Civilis, l. 10. C. de acquir. poss. illa potissimum in jure consistit & intellectu percipitur ; hæc in facto & corpore magis constat. Ultraq; est rei detentio, sed illa animo & opinione Domini, hæc citra animum, affectionemq; domini. Cujac. lib. 9. obs. 33. Unde manifestum est naturalem possessionem ad Usucaptionem non sufficere, sed Civilem requiri. Cum enim Usucapio sit modus acquirendi dominii, dominium autem non acquiratur sine animo & voluntate acquirentis l. 55. ff. d. O. & A. necessarium est tales hic intelligi possessionem qua animo & voluntate domini res detinentur, pr. & § 1. Inst. de Vsucap. Schneid. ad d. pr. n. 58. Vult. n. 27. Treutl. d. D. th. 5. lit. C. D. (c) Non enim sufficit per tempus aliquod possedisse, nisi tempus illud legis definitioni respondeat, quæ pro rerum varietate & ipsa variat, ut infra dicetur. (d) Nam si usurpata id est interrupta fuerit, sive naturaliter possessione

sessione rei reverè in alium translata l. 4. § 22. l. 15. ff. h. t. l. 30. § 4. ff. de acquir. possess. Sive civiliter per litis contestationem, l. 10. C. d. t. l. 10. C. de longi temp. præscript. Et ipsa Usucatio interrupta & interpellata censetur, l. 10. C. de acquir. possess. Don. d. lib. 5. c. 21. Duar. ad. d. tit. ff. d. V. suo. C. pen. & ult. Illico Vm. D. ad processum jud. 12. th. 5. n. 20. Interdum tamen, quamvis reverta interrupta sit, continua nihilominus adhuc fingitur, ut in successoribus § 7. Inst. d. t. ubi Borch. Vult. Schneid. quodq; jure singulari benigne receptum est: cum alias possessio, ne in suos quidem heredes ipso jure continuetur, sed nova apprehensione operus sit, l. 23. ff. d. acquir. poss. Gaedd. add. l. 24. n. 18. ff. d. V. S. Arum. Exerc. 10. in Coroll. Et habet illa continuatio locum non in Universali tantum successore, qualis est heres & bonorum possessor, sed & in particulari, puta, legatario, emptore, donatario § 8. Inst. d. t. wesenb. in 20 ff. h. t. n. 12. Sed hoc tamen cum discrimine; quod illi pro fit antecessorem in b. f. fuisse, quamvis ipse malam fidem habeat: & contranoceat antecessoris mala fides, licet ipse bona fide possederit, d. § 7. Inst. h. t. cum non tam suo quam defuncti, cuius jure utitur l. 59. ff. de Reg. Iur. respectu usucapiat, Vult. d. loco n. 36. Hinc vero neq; bona fides antecessoris pro fit, si ipse in mala fide sit; neq; mala fides noceat, si ipse in bona fide sit: nisi autoris & antecessoris sui accessione & possessione uti velit, l. 2. § 17. & § 20. ff. pro. empt. l. 5. ff. de divers. & temp. præscript. junct. l. 13. § 1. ff. d. acquir. poss. Don. 5. Comm. 20. wesenb. in 20 ff. pro hereden. 2. Hunn. 2. var. resol. tr. 3. q. 5. Treutl. d. D. th. 5. lit. B.

V.

Possessio iusta esse debet, quæ & titulum habeat ad transferendum dominium habilem, (a) & bonam fidem: (b) quam ab initio possessionis adfuisse jure Civilis sufficit (c) Tempus (d) verò ordinarium in rebus mobilibus hodiè triennium (e) est, in rebus immobilibus decennium inter præsentes, vicennium inter absentes (f) Extraordinarium quadriennium. (g)

(a) l. 3. § 21. ff. d. acquir. poss. l. 31. ff. acquir. rer. dom. & l. 4. C. de præscript. long. temp. Est autem titulus vel generalis vel specialis. Generalis vocatur pro suo, qui omnium aliarum causarum communis est l. 1. ff. pro suo. Solus tamen ad Usucaptionem non sufficit, nisi alia ali-

Q

qua-

qua causa specialis præcesserit, propter quam quis pro suo possideat
l.27. & ibi Cujac. ff. de Vsurp. & Vsuc. vel saltem probabiliter præcessisse
credatur. Nam & putativum titulum ad Usucaptionem prodesse exi-
stimus: Si modo justa erroris causa subsit, l.11. ff. pro empt. l.ult. ff. pro
suo l.48. ff. d. Vsurp. & Vsuc. l.2. §16. ff. pro Empt. Bronch. cent. 2. mis. aff. 42.
Cram. D.9. th. 17. Treutl. d. D. th. 5. lit. F. in fin. Specialis titulus iterum vel
singularis est, ut pro empto, pro donato, pro legato, pro dote,
pro transacto. Vel Universalis, ut pro herede & bonorum posse-
flore l.3. l.fin. ff. pro hered. Quo titulo & suos usucapere posse verius
putamus, per ea quæ habet Fachin. 6. contr. 11. Arum. d. Exerc. 6. th. 8.
Gerb. Dec. 6. q. 2. Elias Rober. D.9. th. 9. Paul. Berens. D.5. th. 1. q. 9. (b) pr.
Inst. h. t. & l. 2. C. de prescript. long. temp. quæ est alienæ rei l. 32. § 1. ff. h.
t. l. 109 ibid. Gædd. de V.S. & injustæ possessionis ignorantia, l. 28. ff. de
noxal. act. Dn. Knegepaur. d. Exerc. 7. q. 2. nec unquam sine titulo præ-
sumitur: cum quilibet scire debeat, quod suum non est, hoc ad a-
lium omnibus modis pertinere, l. ult. C. unde vi Fach. 8. contr. 32. Non
autem possidentis tantum sed & tradentis bona fides requiritur, fal-
tem in re mobili, ne alias in furti vitium cadat l.1.4.6.7. C. pro empt.
& ibi Cujac. in w. (c) In cæteris quidem contractibus tempore tra-
ditionis, in emptione vero & contractus & traditionis. l. pen. ff. de
Vsurp. & Vsucap. l. 2. pr. ff. pro emt. postea superveniens alienæ rei
scientia Usucaptionem non impedit l. unic. C. de Vsuc. transf. § 7. Inst.
de Vsucap. Sive res mobiles sint, sive immobiles, arg. l. 4. § 18. ff. h. t.
wesemb. in w. ff. n. 11. Gædd. d. loc. n. 9. Gerb. d. D. 6. q. 4. Forst. D.9. q. 6. Se-
cundus est Jure Canonico, quod bonam fidem usq; ad ultimum com-
pletæ Usucaptionis momentum requirit. c. 5. c. fin. extr. de prescript.
Idq; usu receptum, & in Camera quoq; observatum testatur Myns.
cent. 4. obs. 6. Gail. 12. obs. 18. n. 7. (d) Quod computamus non à mo-
mento ad momentum, id est, ab hora ad horam, ut alias sit in ætate
minorum l.3. § 3. ff. de minor. in actionibus personalibus & tempora-
libus l.6. ff. de O. & A. l. 99. §. 1. ff. de V.O. sed à die ad diem, l.7. ff. de V-
surp. & Vsuc. ita ut postremus dies coepus, pro completo habeatur,
l.6. ff. ead. l. pen. pr. ff. de divers. & temp. prescript. Hottom. 1. Amicab. q. 26.
Rationem autem differentiæ hujus aliam reddit Don. 5. comm. c. 19. a-
liam Gædd. add. l. 2. §. 7. ff. d. V.S. n. 27. adde Bronch. cent. 4. aff. 8. (e) Olim
anno uno res mobiles usucapiebantur; sed hodie ex constitutione

Justin

Suth. ap 5. 24

Justini. cui illud tempus nimis augustum visum fuit, triennio, pr.
Inst. h.t. l. unic. C. de Vfuc. transj. (f) Res immobiles, si mancipi, sive
in solo Italico fuissent, biennio antiquitus: hodie vero sublato re-
sum mancipi nec mancipi discriminé, omnes indistincte, decem annis
inter præsentes, & viginti inter absentes usucapiuntur, d. pr. & l.
fin. C. de præsc. long. temp. Absens autem hic dicitur, qui non in eadem
provincia domicilium habet, præsens contra, qui in eadem habitat,
d. l. fin. C. de præsc. long. temp. & Auth. quod si quibusdam C. eod. Adde
Cujac. 7. obs. 34. (g) In bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, &
ab alio possessis, l. i. C. de quadr. præscr. & §. 4. Vbi Dd. Inst. h.t. Præscri-
ptionem autem 30. vel 40. annorum hic omittimus; quia per eam
nontam dominium, decujus acquisitione hic agimus, quam exce-
ptio acquiritur tot. tit. de præsc. 30. vel. 40. ann. Don. d. lib. 5. c. 32.

VI.

Finis est publicum bonum, ut sitium aliquis esset
finis & dominia rerum non semper in incerto, (a) Ef-
fectus verum est plenum dominium. (b) adeo ut con-
tra illud nec ex capite ignorantiae detur restitutio in in-
tegrum. (c)

(a) d. pr. Inst. h.t. l. i. ff. eod. l. 5 ff. pro suo Non est igitur ea ab æquitate
ne quidem naturali omnino aliena, ut post alios contendit Hunn. 2.
var. resol. tr. 3. q. 2. Nam quamvis id quod nostrum est, sine facto nostro
ad alium transferri nequeat, l. ii. ff. d. R. I. & natura æquum sit, ne-
minem cum alterius detrimento locupletari, l. 14. ff. de Cond. indebiti
c. 48. R. I. in 6to. Negligentiæ tamen domini, tam diures suas non cu-
rantis effieit, ut non sine omni ejus facto dominium usucipientia ad-
jici videatur: vix enim est, ut non alienet, qui usucapi patitur, l. 28. ff.
de V. S. l. 16. ff. de fund. dotal. & damnum quod quis sua culpa sentit,
sentire non intelligitur, l. 203. ff. de R. I. Deinde licet fortassis iniqua
videatur præscriptio, respectu privati commodi: æquissima tamen
est respectu utilitatis publicæ, quæ semper præferenda est privatæ
l. unic. § 14. C. decaduc. toll. cum meritò lex inferior, quæ habet su-
um cuiq; tribuendum esse, cedat superiori, ut scilicet conser-
vetur publica hominum societas & tranquillitas Schneid. add. pr. Inst.

Q 2

h.t. 32

b.t.n.11. & 12. Myns.n.16. Vult.n.42. & seqq. Donell.s. com. 30. Vacon. à
Vacun. i. declar. 28. n.4. Arum.d. Exerc.th. i. Bronch. cent. 4. ass. 2. (b) Quod
in rebus mobilibus expeditum est, in immobilibus verò utile dun-
taxat Dominium acquiri quidam volunt, Gl.ad. d. pr. Inst. b.t. & ibi
Schneid. Sed verius est in his quoq; verum acquiri Usucapione Do-
minium d.pr.l. ult. in fin. C. de Edictis Divi Hadr. tollendis l.20. C. de pactis.
Vult. ad hunc tit. n.47. Wesenb. in ḥ. ff. n.14. Fachin. i. contr. 70. Arum.d.
Exerc.th. 10. Elias Rob. d. D. 9. th. 12. Hæn. d. Disp. th. 16. (c) l. ult. ibi: nul-
la scientia vel ignorantia expectanda C. de prescript. long. temp. Et nisi
hoc admitteretur, vix ullus præscriptioni locus foret. Quis enim
rerum suarum adeò prodigus existeret, ut sciens ab alio usucapi eas
pateretur? Fach. d.lib. i.c.69. Bronch. cent. i. miscell. assert. 30. Arum.d.
Exercit. th. 10. Elias Rober. d. Disp. th. 11. Hæn. d. Disp. th. 17. Cui conse-
quens est, possessorem rem semel legitimè usucaptam etiam in foro
conscientiae retinere posse, licet postea cognoverit eam alienam fu-
isse, arg. c.5. extr. de prescript. Res enim cuius Dominium possesso-
ne nactus sum, mea jam est, non alterius, proindeq; eam alteri re-
stituere nullo jure teneor. Fach. d.lib. i.c.64. Hæn. d. D. th. 11. Paul. Be-
rens. d. D. 5. th. 1. q. 8.

VII.

Alter modus acquirendi (a) est donatio, (b) quæ
in genere describi potest (c) actus, (d) quo liberalita-
tem exercemus. (e) Estq; vel mortis causa, vel inter-
vivos. (f)

(a) §.fin. Inst. de Vsu & hab. princ. Inst. de donat. Quomodo autem,
& qua ratione Imp. donationem ad modos acquirendi dominium
retulerit, variant Interpp. nostri, ut videre est apud Don. s. com. 2.
Vult. ad pr. Inst. de donat. Wesenb. ibid. Gerhard. Dec. 6. q.6. Nos id fa-
ctum putamus respectu mortis causa donationis, quæ ipso jure Do-
minium transfert ut inf. dicetur. Nam donatio simplex inter vivos,
nec olim aliter Dominium transtulit, quam traditione, aut manci-
patione consummata; nec hodie etiam cum pactum legitimnm
sit, quod obligationem tantum producit. Wesenb. ad d. pr. donatio
quoq; propter nuptias contracta specialis est ex Constit. Inst. Nov.
119. Tractat tamen Imp. & de his sub hoc titulo ob materiæ cogni-
tionem



tionem arg. pr. inf. delegat. (b) ita dicta à dono quasi doni datio l. 35.
§. 1. ff. de mort. caus. donat. Adde Tholosan. in syntag. jur. Univ. lib. 28.
cap. 7. n. 3. (c) nam definiri perfectè propter specierum subjectarum
diversam naturam vix potest, ut rectè Henning. Wegen. D. 6. th. 6.
lit. A. infin. (d) arg. l. 19. ff. de V.S. Foman. D. 13. th. 1. lit. A. (e) Idq; vel
simpliciter ex nulla juris, aut officii necessitate l. 14. ff. de V.S. ut in
donatione simplici inter vivos l. 1. l. 29. ff. de donat. l. 82. ff. de R. I. vel re
latè, & ob causam aliquam, ut in donatione mortis causa propter nu
ptias, & similibus d. l. 1. de donat. Tholosan. d. c. 7. n. 6. & 7. (f) d. pr.
Inst. de donat. l. 25. in pr. C. de donat.

VIII.

Mortis causa donatio (a) est, quæ fit cogitatione
mortis, vel periculi alicujus. (b) Ea legatis ferè per o
mnia exæquata est. (c) Revocatur convalescentia, vel
liberatione à periculo, (d) Pœnitentia, (e) & donata
rii morte. (f)

(a) Quæ vel in specie sic dicta est, de qua hoc loco: vellegatum,
& fideicom. de quibus inf. in materia testam. (b) §. 1. Inst. de Donat. l.
1. & pass. t. ff. & C. de mort. caus. donat. Mortis autem cogitatione fieri
intelligitur, non tantum, si quis jam revera in mortis periculo con
stitutus sit, sed etiam si nullo adhuc urgente morbo, vel periculo,
solius mortalitatis cogitatione donet. l. 3. cum. LL. seqq. ff. d. t. quod
tamen ipsum exprimendum à donatore est, alias donatio inter vivos
præsumitur etiam à moriente facta, l. 42. §. fin. ff. d. t. nisi expreßè mor
tis mentionem fecerit. Nam tum in dubio mortis causa donatio
censetur. Schneid. add. §. 1. Inst. de donat. n. 3. Wesenb. in w. ff. de mort.
caus. donat. n. 2. Treutl. vol. 2. Disp. 19. th. fin. lit. A. Sed quid si clau
sula de non revocanda, ea adjecta fuerit? Adhuc mortis causa do
nationem manere existimamus l. 13. in fin. l. 35. §. 4 ff. de mort. caus.
donat. Nov. 87. pr. & cap. 1. Treutl. d. loco Forst. D. 20. q. 11. Hunn. 2. var.
resol. tr. 4. q. 2. Illud non interesse videtur præsens sit donatarius, vel
absens; cum & per alium acceptari possit, l. 21. §. 2. ff. de donat. inter
vir. & Uxor. Hottom. 8. obs. 18. Treutl. d. th. fin. lit. A. in fin. (c) Olim
dubitabatur, an contractibus, an verò ultimis voluntatibus accen
senda esset: Sed Just. eam ad legata retulit, iisq; ferè per omnia ex
equavit

æquavit, d. §. i. & l. fin. C. de mort. caus. donat. videlicet quoad effectus, ut ipse se explicat in d. l. fin. Quemadmodum enim legatum, ita & hæc donatio morte plenè confirmatur, arg. l. 4. in fin. ff. de adim. legat. quemadmodum in illo, ita & in hac Dominium ipsojure in donarium transit, l. 2. in fin. junct. l. seq. ff. de Public. in rem aët. quemadmodum ex illo, ita ex hac Falcida detrahitur, l. 5. C. Ad L. Falc. Add. Schneid. ad d. §. i. n. 24. Quoad substantiam verò & hodie adhuc hæc duo inter se differunt, ut docet glos. ad d. §. i. & ibi Schneid. num. fin. Unde & separatim de iis tractat Imp. Vult. ad d. §. i. n. 9. Add. Bachov. ad Treutl. d. th. fin. lit. B. Procedit autem exæquatio illa etiamsi mortis causa donatio ab intestato facta sit, arg. d. l. ult. C. de donat. mort. caus. Tr. d. th. lit. B. ibi q. Bachov. Hunn. d. tr. 4. q. 3. (d) d. §. i. l. 29. l. 29. l. 25. §. 3. ff. de mort. caus. donat. l. 38. §. 3. ff. de Usur. l. 4. §. 1. ff. de doli except. Quod verum est, si donator donationis tempore constitutus fuerit in infirmitate, vel alia propter imminens periculum donaverit, iturus forte in bellum, vel navigaturus. Nam si quis sola mortis cogitatione donet, quamvis postea in morbum incidat, per reconvalescentiam non revocatur donatio, ut recte Schneid. ad d. §. i. n. 22. Bachov. ad Treutl. d. th. f. lit. F. (e) d. §. i. & l. 30. ff. d. tit. idq; sive expressa ea sit, sive tacita; ut si donator remita donatam, postea voluntariè alienaverit, l. 22. l. 32. §. 5. ff. de donat. int. vir. & uxor. (f) ante donatorem contingente d. §. i. l. 29. ff. de reb. credit. & l. 23. ff. de donat. mort. caus. Competit autem ad revocandam hanc donationem vel conditio, vel utilis in rem actio, l. 30. l. 35. §. 3. ff. de mort. caus. donat. Schneid. ad d. §. i. n. 23. Bachov. ad d. th. lit. F.

IX.

Donatio inter vivos vel absoluta est, vel relata. Absoluta est, quæ ex mera liberalitate fit, (a) hodiè etiam nudo pacto: (b) ita ut nec insinuatione egeat; (c) nisi 500 solidos excedat. (d)

(a) l. 1. l. 29. ff. de donat. l. 38. ff. de R. I. Dicitur aliquando simplex donatio l. 20. §. 3. ff. famil. erciscund. l. f. §. simplices C. de donation. ante supt. Aliquando directa, l. 25. in pr. C. de donation. nonnunquam etiam communis l. 34. in pr. C. cod. (b) olim hæc donation non censebatur perfecta,

perfecta , nisi vel stipulatione munita , vel traditione consummata ,
hodiè verò nuda voluntate & consensu utriusq; perficitur , ita ut ad
exemplum venditionis statim plenissimum robur , & necessitatem
traditionis in se habeat , d. §. 2. Inst. d.t. l. 35. C. eod. contractus tamen pro-
priè non est , quamvis id velit Wesenb. in w. ff. b. t. n. 2. Tholos. d. c. 7.
n. 5. Treutl. d. D. t. 1. lit. A. Sed pactum legitimum , ex constitutione
Justin. confirmatum ut actionem produceret ; d. l. 35. C. de donat. con-
ditionem videtur ex lege arg. l. 6. ff. de pact. juncta l. uni. ff. de condic. t.
ex lege. Hunnius d. tr. 4. quest. 1. adde Gerhard. d. Dec. 6. quest. 7. (c) l. 25
l. 29. C. de donat. l. 12. C. de fide instr. quod & jure veteri ante tempora
Theodosii obtinuisse verius est. Treutl. d. D. 6. litt. B. & ibi Bachov.
(d) d. §. 2. Inst. hoc. t. d. l. 35. C. eod. Fieri autem insinuatio potest co-
ram quocunq; Magistratu & judice , etiam incompetente , l. 27. l. 36.
C. h. t. Schneid. ad d. §. 2. n. 11. Paul. Berens. d. D. 5. th. 2. quest. 4. Et ne-
cessaria est regulariter , in quacunq; donatione etiam ad pias causas
facta , l. 19. C. de SS. Eccles. l. 34. §. 1. C. de donat. Schneid. ad d. §. 2. n. 21.
Berens. d. th. 2. q. 5. Treutl. d. th. 6. litt. E. & ibi Bachov. Nisi specialiter
excepta reperiatur ; ut donatio à principe , vel etiam à privato prin-
cipi facta , l. 34. pr. & auth. item & à privatis C. h. t. & similes , de qui-
bus Glos. Schneid. & Dd. ad d. §. 2. Inst. hoc t. Quod autem de principe
dictum , non ad summum tantùm Principem sive Imperatorem , sed
ad alios etiam inferiores Principes pertinere videtur : ut nec illorum
donationes insinuatione opus habeant : Malè autem ad Magistratus
inferiores alios à nonnullis extenditur. Nam hos ultra 500. solidos
absq; insinuatione donare quasi apud se ipsos non posseverius est ,
ut rectè docet Bachov. ad Treutl. d. th. 6. lit. D. Quod si igitur insinu-
ata donatio non fuerit , corruet donatio , sed pro ea tantùm parte
quæ legitimam summam excedit , d. l. 34. pr. C. h. t. Gail. 2. Obs. 5. n.
8. Berens. d. th. 2. quest. 7. Juramentum tamen accedens defectum in-
sinuationis supplet , saltem jure Canonico , arg. c. quamvis. de pactis
in 6. Gail. d. lib. 2. obs. 39. non etiam simplex & nuda insinuationi fa-
cta renunciatio , arg. l. 55. ff. de legat. 1. Treutl. d. D. th. 6. lit. F. & ibi
Bachov.

X.

Donare possunt omnes , qui alienare : nisi prohi-
beantur ; (a) & quidem res quaslibet , (b) etiam universa
bona .

bona. (c) Revocatur tamen ob ingratitudinem donatarii, (d) & legitimæ deminutionem. (e)

(a) arg. l. 12. pr. ff. de judic. Prohibentur autem i. conjuges sibi invicem l. 1. 2. 3. & paß. ff. & C. de donat. inter Vir. & Uxor. & ibi Wes. in ḡ. ff. & Myns. cent. 2. obs. 33. Quod nonnulli etiā ad mortis causa donationem extendunt, sed perperam, ut patet ex l. 9. §. fin. l. 10. l. 12. ff. d. t. l. pen. ff. de donat. mort. caus. Schneid. ad d. §. 1. n. 60. Mynsing. d. obs. 33. Treutl. d. D. 4. lit. B. ibiꝝ Bachov. Remuneratoriam quoq; & reciprocum donationem valere expeditum est perl. 7. §. 2. ff. d. t. de donat. inter Vir. & Uxor. Sed quid si maritus ignobilis, vel senex uxori nobili, vel puerilæ donet, subsistetne donatio illa tanquam remuneratoria? Et verius est non subsistere; quia hoc nunquam est expressum, & sine lege autem loqui erubescendum est, Fachin. 3. cont. 80. Treutl. d. th. 4. lit. B. in fin. & ibi Bachov. Interdum tamen & simplex donatio inter conjuges subsistit; ut si nec donans pauperior, nec accipiens locupletior fiat, l. 5. §. 8. l. 7. §. 1. & 7. l. 25. ff. d. t. de donat. int. Vir. & Uxor. c. fin. ext. eod. & ibi glos. vel juramento arg. c. cum contin-
gat ext. de jure jur. Gail. 2. obs. 40. Myns. d. obs. 33. aut morte conjugis do-
nantis confirmata fuerit, l. 32. §. 2. ff. d. t. de donat. inter Vir. & Uxor.
l. 24. l. 25. C. eod. idq; sive traditione consummata fuerit hæc donatio,
sive non, l. 33. pr. ff. d. t. Nov. 162. cap. 1. ibiꝝ Cujac. Coras. 5. miscell. 1.
Treat. d. th. 4. lit. E. Deinde parentes etiam liberis in potestate con-
stitutis donare nequeunt, l. n. C. b. t. n. d. l. 25. pr. C. de donat. inter Vir. &
Uxor. Nisi forte in compensationem meritorum certorum, Schneid.
ad d. §. 1. n. 71. Fachin. d. lib. 3. cont. cap. 74. Gail. d. lib. 2. obs. 38. vel donatio
legitimis modis confirmata fuerit, de quibus Treat. d. D. th. 3. lit. E. Ad-
de Fachin. d. lib. 3. cap. 72. & 77. Arum. d. exercit. th. 14. (b) tam corpo-
rales, quam incorporales, l. 9. pr. l. 17. l. 27. ff. h. t. modo sint in com-
mercio d. l. 9. §. fin junct. pr. sup. de rer. divis. An & alienæ? ita dicen-
dum videtur arg. §. 4. Inst. delegat. & t. t. ff. Prodonato. glos. ad d. l. 9. §.
fin. Schneid. ad d. §. 1. n. 84. Sed quæritur hic: An donator teneatur
de evictione? Et verius est non teneri, nisi eam promiserit, l. 18. §. f.
ff. h. t. n. l. 2. C. de evict. Treutl. d. D. th. 5. lit. B. Arum. d. exerc. 6. th. fin.
Berens. d. th. 2. q. 8. (c) ea quæ tam futura, quam praesentia, arg. l.
17. §. 1. ff. Quæ in fraud. cred. l. 34. §. 4. C. Donat. l. 8. C. de revoc. donat. Co-
ras. 6. miscel. 27. Bronch. cent. 3. aff. 71. Arum. d. exerc. th. 15. Berens. d. th. 2.
q. 2. Hænon.

A.D. l. 17. ff. ht.

R.

q.2. Hœnon. d. D. 6. th. 18. Elias Rob. D. 10. th. 7. Fom. d. D. 13. th. 2. in fin. (d) d.
§. 1. Inst. h. t. & l. fin. C. de revoc. donat. ubi 5. enumerantur ingratitudinis causæ, præter quas nullas, ne quidem majores, vel similes admittendas putamus, per d. l. fin. ibi ex his enim tantummodo &c. Don. 14. com. 27. Foman. d. D. 13. th. 4. lit. F. Treutl. d. D. th. 7. lit. D. (e) Si enim liberi, parentes, vel fratres per donationem legitimam defraudati sint, donatio quarela in officio donationis rescinditur, l. i. & t. t. C. de incff. donat. ibi q. Cujac. in π. Non quidem in totum, sed quoad' legitimam tantum, l. 5. & l. 7. in f. C. d. t. Cujac. s. obs. 14. Don. 19. com. 11. Geil. 2. obs. 116. n. 4. Elias Rober. d. D. 10. th. 10. Bach. ad Tr. d. th. 7. lit. I. Addunt Dd. vulgo & aliam revocationis causam, supervenientiam videlicet librorum ex l. 8. C. d. t. de revoc. donat. Verum cum ea specialiter de patrone & liberto loquatur, perperam à Dd. ad quemvis donatorem extenditur, ut recte docet, Don. add. l. 8. & 14. com. 32. ibi q. Hilliger. lit. O. & P. Hottom. 1. amicab. respons. 12. Coras. 7. miscell. 30. Riemer. Dec. 5. q. fin. Berens. d. th. 2. q. 9. Bach. ad. d. th. 7. lit. E. Interim tamen contraria opinio in praxi recepta & in Camera probata est, Mynsing. cent. 5. obs. 63. proindeq; in judicando non facile ab ea recedendum, ut ex Tiraq. monet. Bachov. & Hillig. loco alleg. idem etiam sequitur J. W. Landrecht p. 2. tit. 18. § fin. So auch einer etwas Namhaftes. Qua sententia stante, donatio, si liberi nati, vivo donatore deceaserint, non convalescit, cum ipso jure rescissa sit, arg. d. l. 8. C. de revoc. donat. Treutl. d. lit. E. in fin.

XI.

Ad donationem relatam (a) pertinet & donatio propter nuptias, (b) quæ fit à marito, (c) in securitatem dotis recuperandæ. (d)

(a) Quæ non ex mera liberalitate, sed sub conditione & modo fit, l. 1. ff. de donat. t. t. C. de donat. quæ sub modo ibi Cujac. in π. Species ejus aliquot recenset Foman. d. D. 13. th. 8. & 9. (b) Hæc veteribus J. Cris penitus fuit incognita Giphian. ad §. 3. Inst. h. t. à junioribus demum Princip. introducta, Vocataq; donatio ante nuptias: Sed à Just. ut circa rem ipsam, ita & nomen facta mutatio, & donatio propter nuptias appellata est d. §. 3. & l. 20. C. de donat. ante nupt. (c) Velsponso, aut alio quovis ejus nomine: quemadmodum enim dos ab Uxore, ita hæc donatio à marito proficiuntur, Cujac. s. obs. 4. (d) ut videlicet

R dote,

dote à marito male consumpta, vel soluto matrimonio uxori habeat, unde suum consequi possit, d. l. 20. C. de donat. Est enim hæc donatio hodie contractus specialis, quo sponsæ, vel uxori hypotheca in dotis securitatem constituitur, Nov. 119. Vult. ad. d. §. 3. n. fin. Unde errat Wels. & alii, qui ex hac donatione dominium ipso jure in uxorem transire existimant, rectè ob id notati à Bachov. ad Tr. d. D. th. 8. lit. B. Potest autem hæc donatio, non tantum ante, sed etiam post nuptias fieri, d. §. 3. & l. 19. C. de donat. antenupt. & eodem jure cum dote censetur; ita ut eadem pacta utraq; recipiat, Nov. 22. & eadem utriusq; sit quantitas. Nov. 97. Quod tamen contraria locorum consuetudine sublatum testatur Schneid. add. §. 3. n. 4. Geil. 7. Obs. 36. & lib. 2. Obs. 78. Adde Rittershus. ad Nov. p. 5. cap. 1. n. 7.

XII.

Dominii acquisiti effectus est libera alienandi facultas, (a) Maritus tamen quamvis dotis Dominus sit, (b) predium dotale ne quidem consentiente uxore alienare potest: (c) quemadmodum nec minores absq; tutorum vel Curatorum consensu res suas. (d) Contra creditori licet Dominus non sit, pignus nonnunquam alienare permittitur. (e)

(a) arg. §. 41. supr. de Rer. div. l. 21. C. mandati. Secundum legis tamen præscriptum: à quo ut acquirendæ & conservandæ, ita & alienandæ rei petenda facultas est. arg. §. 11. supr. d. t. de rer. div. Adde Vult. ad pr. Inst. quib. alien. licet &c. (b) §. 41. supr. tit. de rer. div. d. pr. Inst. quibus alienare licet l. 9. §. 1. l. 75. ff. de Iur. dotal. l. 23. C. eod. adeò ut non fructus tantum percipere, l. 7. pr. ff. l. 20. C. d. tit. Sed etiam servum dotalē manumittere, l. 3. C. d. tit. l. 24. §. 4. l. 67. & l. seq. ff. solut. matrim. res dotales vindicare, l. 9. C. de rei vind. aliosq; dominii effectus exercere possit. Constante enim matrimonio penes maritum dominium est actu & exercitio; penes uxorem quiete & cessatione, arg. §. 30. Inst. de rer. div. Aegyd. Hortens. ad d. pr. quibus alien. lic. Adde Paul. Berens. d. D. th. 3. quest. i. & Cl. Dn. Ungep. Exerc. 7. q. 6. Unde nec alienare quicquam, nec vindicare ab alio potest, d. l. 9. C. de rei vind. l. 11. C. de jur. dot. Adde Bachov. ad I reutl. vol. 1. Disp. 15. th. 2. lit. B. (c) Ex L. Julia maritus prædia tantum Italica invita uxore alienare, obligare verò

Se vero etiam consentiente non poterat ; Sed Just. & prædiorum di-
scrimen sustulit, & alienationem etiam uxore consentiente omnino
prohibuit, d.pr. Inst. quib. alien. lic. vel non, & l. un. §. 15. C. de rei uxor.
Nisi forte mulier post biennium semel atq; iterum consenserit, ipsi q;
ex aliis mariti bonis satisfieri possit. Nov. 61.c.1. ibi q; Cujac. aut jura-
mento consensum firmaverit, arg. c. 2. de jurejur. in 6. Wes. in 2. ff.
defund. dot. n. 6. Res mobiles autem sive servando servari possint, sive
non, recte maritus alienat; arg. d. pr. Inst. quib. alien. licet, ubi rerum
immobilium tantum fit mentio. Quod autem in uno prohibetur,
in reliquis concessum intelligitur, l. 12. ibi q; Gloss. ff. de judic. Paul. Be-
renf. d. th. 3. q. 4. (d) §. 2. Inst. d. tit. l. 27. §. 1. ff. de jurejur. l. 3. C. de restit. in
integr. Unde nec mutuo dare, nec solvere creditoribus suis possunt,
d. §. 2. l. 27. §. fin. l. 19. §. 1. ff. de reb. cred. Ipsis etiam si debitores solverint,
non aliter liberatio contingit, quam si tutoris authoritas, & judici-
alis sententia, sine omni damno, id est, sumptu & expensis debito-
ris aut pupilli celebrata accesserit, d. §. n. 2. & l. 25. C. de administ. tut.
Excipiuntur pensiones annuae & usuræ, quæ pupillo solvi possunt,
solo tuteure autore d. l. 25. l. 27. C. d. tit. (e) §. 1. Inst. d. tit. Ubi distinguen-
dum est : Aut enim convenit, ut liceret vendere, si intra certum tem-
pus pecuniâ non solvatur ; & Creditor finito tempore absq; ulla de-
nunciatione vendere pignus potest. Aut nihil convenit ; & vende-
re creditori non aliter licet, quam si debitori denunciaverit, isq; bi-
ennium à denunciatione ista cessaverit. Aut deniq; convenit, ne
venderetur : Et adhuc, prævia tamen tria denunciatione, & bien-
nio post denunciations elapso, venditio pignoris recte procedit,
l. 4. ff. de pignor. act. l. fin. §. 1. C. de jur. dom. impetr. Gloss. ad l. 4. C. d. di-
fract. pign. Schneid. ad d. §. 1. Inst. b. t. Hunn. 2. var. resol. tract. 4. q. 17.
Quod si vero Creditor pignus distracturus, emtorem non inveniat,
ipse jus domini impetrare poterit, juxta d. l. ult. C. de Iur. domin. impetr.

XIII.

Acquiritur nobis Dominium etiam per liberos in
potestate existentes (a) servos nostros, (b) item alie-
nos in quibus usumfr. habemus, & quos bona fide pos-
siderimus. (c) non per alios. (d)

(a) pr. Inst. per quas personas cuiq; acquir. Sub distinctione tamen
R 2 bono-

bonorum sive peculiorum. Nam profectitia, quæ è re Patris, sive ab ipso, sive ab alio contemplatione ejus, l.5.pr. & §. 1. ff. de jur. dot. & adventitia, quæ aliunde proveniunt, l.8. C. de bon. quæ lib. patria acquirentur. Illa quidem plenè, hæc quoad usum fructum, proprietate liberis salva §. 1. Inst. d. tit. l.1. l.2. C. de bon. mater. Castrenia vero, quæ occasione militiae, velex muneribus vel stipendiis l.22. ff. de Castren. pec. l.1. C. eod. Et quasi Castrenia, quæ ex professionibus, advocationibus, &c. acquiruntur, l.6. pr. C. de bon. quæ lib. pleno jure ad liberos pertinent, ut de iis pro lubitu, tam inter vivos quam mortis causa disponere possint, d. §. 1. l. 2. ff. de castr. pec. d. l. 6. C. de bonis quælibet. (b) Qui quicquid acquirunt, Dominis suis etiam invitatis ac ignorantibus acquirunt §. 3. Inst. d. t. l. 10. § 1. ff. de acq. dom. Hereditate excepta, quam servi, nisi iussu dominorum, adire nequeunt, d. §. 3. & l. 25. §. 4. ff. de acquir. hered. nealiás dominos invitatos æri alieno obstringant, l.6. pr. ff. d. t. Non autem dominium tantum sed etiam possessio nobis per servos & liberos acquiritur, d. §. 3. l. 24. ff. de acquir. poss. Giph. add. §. 3. Verum scientibus tantum & volentibus, non invitatis & ignorantibus, nisi ex causa peculiari, l.1. §. 5. l. 3. §. 12. l. 44. §. 1. ff. d. t. de acquir. poss. Don. d. lib. 5. com. c. 8. & ibi Hillig. lit. C. Hunn. d. tract. 4. q. 29. (c) sive liberi homines sint, sive servi, verum ita demum, si quid ex re nostra, vel operis suis acquisi si verint. Nam extra hos duos casus servi quidem alieni dominis suis, liberi vero homines sibi ipsis acquirunt, §. 3. Inst. d. tit. d. l. 10. §. 3. & 4. ff. de acquir. rer. dom. (d) Per extraneam enim Personam nihil nobis acquiritur, §. pen. Inst. d. t. l. 1. C. eod. Excipitur tamen Procurator per quem etiam ignorantibus nobis acquiritur possessio, l.1. C. d. acquir. poss. & per possessionem dominium, si Dominus fuit, qui tradidit, d. §. pen. & l.8. C. d. t. de acquir. poss. Giph. add. §. pen. Elias Rober. d. D. 9. Coron. 2.

C O R O L L A R I A.


I. An Olla sorti lega vulgo ein Glück hat possit ac debeat in Rep. tolerari? Talem in testas frustillatim comminuendam urbeq; ejicendam esse, omnes, procul dubio, nobiscum concludent. arg. l. alearum C. de Aleator. l. Imperialis 23. in pr. de Nupt. Nam egentes exhauiuntur nummis, sumptus male collocantur, causaq; præbetur multiplici dolo & imposturis.

II. An expensæ, quas Pater pro filio studente fecit, tempore divisionis sint conferenda?

F I N I S.

99A 6938





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black

Centimetres

Inches

EXTRA.

NEAS ONES.

ate
dicæ in celeber-
na.

LUDWELL

O.

CUS LOHET,
ERGICUS.

tis.

erio,

XVIL

ICORUM,
aris Scherffij,
graphi.

6